



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri**

**Ávila, Esteban de  
Azpilcueta, Martín de**

**Lvgdvni, 1609**

Iuramentum I. in se.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41656**

quosuis leui iudicio firmiter iudicant peccare mort. cap. 18. num. 9.

## IURAMENTVM I.

In se.

IURAMENTVM est affirmare vel negare **A**  
aliquid adducendo expresse, vel tacite, Deum  
in testem, tanquam infallibilem veritatem. ca.  
12. num. 1. §. 2. Expresse est, Sicut dicere  
*Allego Deum. Facio Deum testem, Vivit Deus,  
Per Deum, Per Trinitatem &c.* ibid.

Iuramentum etiam est iurare per creaturas **B**  
in quantum in eis resplendet diuina veritas: vt  
per Sanctos, per Crucem, per Euangelia &c.  
item per eas in quibus relucet diuina bonitas,  
vel iustitia, *Per vitam meam, per salutem pa-  
tris &c.* vel adiuncta execratione, *Hac mihi  
faciat Deus si hoc non est verum.* ibidem.

Iuramentum, est de se actus bonus & re-  
ligiosus. Vnde peccatum est mortale, imò  
hæreticum, dicere, iuramentum de se esse  
malum, aut numquam licitum. cap. 12. num.  
2. & 4.

Iuramentum est duplex, assertorium &  
promissorium: requiritque tria vt sit licitum:  
scilicet veritatem, iustitiam & reuerentiam.

Est

Est mortale regulariter, cum deest veritas, vel tanta iustitia, vt sit mortale id quod iuramento confirmatur: est verò veniale, cum deest iudicium, vel reuerentia, vel iustitia leuis. num. 3.

**C** Dicere *per fidem meam, per veritatem meam, in fide mea*, non est iuramentum, si tantum intelligitur fides vel veritas humana. Neque est iuramentum dicere, *Deus scit an verum dico, hoc dixerim coram Domino*, si careat intentione iurandi. Secus est dicere, *Deus scit me verum dicere.* n. 2. §.

Peccat mortal. qui iurat per dæmonem, Mahometum, vel idolum. Et qui iurat per aliquam creaturam, adducens eam tamquam testem infallibilem. Sed non tenetur vinculo iuramenti. num. 4. §. 2. & 3.

Qui iurat per aliquam creaturam absque villo respectu diuinæ bonitatis in ea resplendentis, & sine intentione adducendi eam in testem infallibilem, neque est iuramentum, neque peccatum. num. 4. vnde iurare per vestes, capillos, paleas, non est iuramentum, secus si per conscientiam. num. 5.

Christiani autem iurantes per creaturam, in qua relucet diuina bonitas, vt cælum, Sol, vita humana &c. communiter videntur iurare per Deum. Et quamuis intenzius intenderent talem creaturam adducere  
in

in testem infallibilem: tamen in foro exteriori excusarentur à peccato grauissimo superstitionis, & celerentur obstricti iuramento. Secus in foro conscientia; vbi iudicabitur peccasse grauissimè peccato superstitionis, deferendo talem honorem creaturae, etiam alicui Sancto; non tamen esse obligatum iuramento. cap. 12. num. 5.

Qui iurat facere aliquid illicitum, animo E adimplendi, bis peccat. num. 13. Secus, si desit talis animus. num. 13. nam erit vnum peccatum: Non excusat ab hoc timor mortis. num. 13. num. 15.

Qui dolose iurat, nulla interueniente causa, peccat mort. iurando, & etiam non implendo. Secus, si iurans est in bona fide, & alter vitur dolo. Tunc enim sufficit implere secundum intentionem iurantis. num. 13. Et F qui dolo deceptus iurauit, non tenetur implere, si dolo est talis, vt eo antè prauiso non fuisset iuratum. ibidem.

Peccat, qui ob metum iurat facere aliquid licitum, sine intentione obligandi se ad implendum, vel cum intentione adimplendi, & non adimplet verum. est, quòd si, quando per metum iurauit, habuit intentione adimplendi, quod iurauit in aliquo sensu vero, licet diuerso à mente illius qui eum compulit iurare, nec peccaret iurando, nec etiam non

non adimplendo amplius quàm ipse intellexit: vnde qui iurat latroni se daturum illi centum aureos, intelligendo intra se, si illi debet, non tenetur illos soluere si aliàs non debet. num. 14.

**G** Peccat qui inducit ad iurandum, quem credit falso iuraturum. Secus, si inducit iuris ordine. num. 20.

Qui iuramentum exoptulat à famulis, vt declarent auctorem alicuius furti, ea intentione vt eum prodat in omni euentu, peccat. num. 21.

Licet petere iuramentum ab infideli, quem scimus iuraturum per idolum, & falsos Deos. cap. 14. num. 3 1. lit. F. & cap. 21. num. 25. Nou. cap. 14. num. 39. cap. 21. num. 25.

---

### IURAMENTVM II.

#### *Quoad materiam.*

**Q**ui iurat facere aliquid mortale, est peccatum mortale; & qui veniale tantum, est veniale. cap. 12. num. 10. 15.

Qui iurat se non transiturum per talem locum, si non adsit finis honestus & utilis, iuramentum est vanum. num. 12.

Qui iurat se non facturum aliquid, quod est de consilio Evangelico tantum, non peccat